

est forma hujus corporis, illud esse semper remanet individuatum; et ideo dicit Avicenna quod individuatio animarum et multiplicatio dependet ex corpore, quantum ad sui principium, sed non quantum ad sui finem. Et quia in illis substantiis quidditas non est idem quod esse, ideo sunt ordinabiles in praedicamento; et propter hoc invenitur in eis genus, species et differentia, quamvis earum differentiae propriae nobis occultae sint. In rebus enim sensibilibus etiam ipsae differentiae essentialis nobis ignotae sunt; unde significantur per differentias accidentales quae ex essentialibus oriuntur, sicut causa significatur per suum effectum, sicut bipes ponitur differentia hominis. Accidentia autem propria substantiarum immaterialium nobis ignota sunt; unde differentiae earum nec per se nec per accidentales differentias nobis significari possunt.

Hoc tamen sciendum, quod non eodem modo sumitur genus et differentia in illis substantiis, et in substantiis sensibilibus: quia in sensibilibus, genus sumitur ab eo quod est materia in re; differentia vero ab eo quod est formale in ipsa; unde dicit Avicenna in 1 de Anima, quod forma, in rebus compositis ex materia et forma, est differentia simplex ejus quod constituitur ex illa: non autem ita quod ipsa forma sit differentia, sed quia est principium differentiae, ut idem dicit in sua Metaph. Talis differentia est differentia simplex, quia sumitur ab eo quod est pars quidditatis rei, scilicet a forma. Cum autem substantiae spirituales sint simplices quidditates, non potest in eis differentia sumi ab eo quod est pars quidditatis, sed a tota quidditate; et ideo dicit Avicenna in 1 de Anima, quod differentiam simplicem non habent nisi species quarum essentialis sunt compositae ex materia et forma. Similiter etiam in eis ex tota essentia sumitur genus, modo tamen differenti; una enim substantia separata convenit, cum alia in immaterialitate: differunt autem ab invicem in gradu perfectionis, secundum recessum a potentialitate et accessum ad actum purum. Et ideo ab eo quod sequitur illas inquantum sunt immateriales, sumitur in eis genus, sicut intellectualitas vel aliquid hujusmodi; ab eo autem quod sequitur in eis gradum perfectionis, sumitur in eis differentia, nobis tamen ignota. Nec oportet has differentias esse accidentales, quia sunt secundum majorem et minorem perfectionem, quae non diversificat speciem. Gradus enim perfectionis in recipiendo eandem formam non diversificat speciem, sicut albus et minus albus in participando ejusdem speciei albedinem: sed diversis gradibus perfectionis in ipsis formis vel naturis participatis diversificat speciem: sicut natura procedit per gradus de plantis ad animalia, per quaedam quae sunt media inter animalia et plantas, secundum Philosophum in lib. de Animal. Nec iterum est neces-

sarium ut divisio intellectualium substantiarum sit semper per differentias veras, quia hoc est impossibile in omnibus rebus accipere, ut Philosophus dicit in 2 de Animal. Tertio modo invenitur in substantiis compositis ex materia et forma, in quibus et esse est receptum et finitum, propter quod et ab alio esse habent; et iterum natura vel quidditas earum recepta est in materia signata, et ideo sunt finitae et superius et inferius, et in eis jam propter divisionem materiae signatae possibile est multiplicatio individuum in una specie; et in his substantiis qualiter se habeat essentia ad intentiones logicas, supra dictum est.

#### QUAESTIO. — De principio individuationis.

Res omnes existentes profecto singulares et individuae dicendae sunt, cum nihil proprie existere possit, quin suum esse sibi vindicet, quo et in se sit, et a ceteris aliis dividatur. Quocirca in re, quae simplicissima gaudet realitate, quaeque est suum ipsum esse subsistens, perspicuum est principium singularitatis differre quidquam non posse ab ipsa re, quae denominatur et est singularis. At haec perfectissima simplicitas experti cuiusque realis compositionis tribui nequit rebus creatis ac finitis, quae omnes in sua realitate necessario sunt compositioni obnoxiae; idcirco in ipsis merito inquiri potest quid in composita earundem realitate sit illud, quod ipsas determinet ad esse singularis. Qua in re liquet in eo immorandum esse, ut principium individuationis ejusvis rei stabilatur, et questio plane abscondita attingatur, quae difficiles admodum habet explicatas. Etiam cum intellectus nostri objectum proprium ac directum sit quidditas rei materialis a principis individuationis abstracta; aegre in nostram cadit cogitationem, quid illud sit quod essentiam specificam ad esse individui definat. Propterea laudandus est Aquinas, qui hanc abstrusam magnique momenti questionem diligentissime ac passim explicavit; tametsi ei non defere inter doctores Parisienses, et Oxonienses tum benevoli objurgatores, tum etiam acerrimi vituperatores qui eius doctrinam et ut falsam, et ut errorem finitimum criminabantur nisi temporum illorum historia locuples testis est. Etenim, uti memoriae proditum est, Guillelmus Lamerenis de la Mare Doctor Oxoniensis an. 1284 opus edidit inscriptum «*Correctorium Fratris Thomae*» quod aptiori vocabulo postea «*Corruptorium*» dictum fuit. Ea eo opere arroganter ac inseite dicam impingit Aquinat in simulans erroris nonnulla ejus doctrinae capita, ea praesertim, quae individuationem rerum materialium spectant; et unitatem formae substantivae in homine. Propter animam intellectivam adstruit censor S. Thomae duas formas substantiales, sensitivam nimirum et animalem, quae iuxta subordinatae principio intellectivo unitatem personae in homine non destruant; atque ita ad errorem Apollinaris divertit renovatum nostra aetate a Gunthero et Balzéro in Germania, et a Pio IX P. M. proscriptum. Lamerenis comes fuit in instituta contra Aquinatem pugna Ioannes Pekamus ejus consodalis, qui in Parisiensi Academia aemulus S. Thomae mansuetudinem ac pietatem Angelici Doctoris eorum inter disputandum non semel periclitatus fuerat; creatus postea archiepiscopus Cantuariensis censura notavi ac proscriptis conclusionibus varias ab Aquinate traditis circa diversarum substantiarum individuationem, et unitatem substantialis formae. Verum conatus, clamoresque adversariorum summi Aquinatis frustra fuere, cum Urbanus V. P. M. ad universitatem Tolosanam scribere non dubitaverit: «*Voluntus insuper et tenore*

praesentium vobis injungimus, ut dicti B. Thomae doctrinam tanquam veridicam et catholicam sectemini eandemque studeatis totis viribus ampliare.»

Neque magis sudiendis est inter nuperos Iourdanus (Iourdan *La philosophie de S. Thomas*) qui Aquinasi successit vel qui suo iudicio fallent questionem versat, vel quia de diversis substantiis diversam de eorum individuatione sententiam profert. At nimium confidit, ut dicam inopie: nam questio haec et ad agnitionem pulcherrima, et ad explicandam animae humanae immortalitatem, et independentiam in existendo a corpore maxime necessaria putanda est, eoque explicavit S. Thomas adversus Averroistas docentes animam, corpore occidente, propria exui individualitate.

Sed ad ipsam questionem accedamus. Individuum dicitur ab Angelo «Quod est in se indistinctum, ab aliis vero distinctum» (1<sup>a</sup> 2<sup>a</sup> q. 29<sup>a</sup> a. 4). Ad rationem ergo individui requiritur, ut sit alteri incommunicabile, et ab aliis divicium idest ut sit *hoc* et non *aliud*. Porro in inquirendo principio, nos nam substantia compositae sint individuae, plures in media aetate discrepantesque numerantur philosophorum sententiae. Sed de duabus tantummodo meminimus, quae adhuc ex utraque parte sustentent, cum reliquae sint fere obliteratae. Prima ergo quae nobis occurrit est sententia eorum, qui docuerunt hab substantias per propriae realitatem, idest per seipsas esse singulares. Doctrina haec quae assertorem sibi vindicat Durandum (2<sup>a</sup> Sent. dist. 3 q. 2<sup>a</sup>) et post eum, Gregorium Ariminensem, aliosque Nominales (Conf. Sanseviero Ont. c. 3. a. 2.) plurimos inter recentes philosophos nacta est adspiratores.

E contra S. Thomas post Aristotelem (Met. XI c. 8<sup>a</sup>) et Albertum M. (De praedicat. tract. 4<sup>o</sup> c. 7<sup>a</sup>) tuerit principium individuationis in substantiis corporatis esse *materiam signatam*. Ut haec S. Doctoris sententia rite exponatur paulo altius propendum nobis est. Cum principium individuationis illud intelligatur, per quod aliqua natura sit incommunicabilis, sit *haec* et non *alia*; perfectius imperfectusque illa essentia individuat, quo ab ea plus minusve removatur multiplicatio; omne enim multiplicabile ad perfectam unitatis rationem non pertingit. Porro natura primae causae ita est individua, ut ab ea excludenda sit omnis multiplicabilitas, per quam uti diximus res a perfecta unitate desiscit: ex hoc consequitur individuationem in Deo esse per actum purissimum, idest per ipsum *esse* substantis, quocumque divina natura utrumque *realiter* est. Sic intelligitur pervalutum illud Commentatoris dictum, de quo saepe meminit S. Thomas; nimirum causam primam distinguere a reliquis omnibus, et quodammodo individuari per puritatem sui esse, seu per puram suam bonitatem.

Verum in rebus finitis, quae omnes e reali potentia et actu constant, individuum non potest illam perfectissimam unitatem, et divisionem a quolibet alio praesentere, quae ab ipso removet omnem multiplicabilitatem; idcirco principium individuationis et esse debet, et per quod aliud est, id est in se indistinctum et a quolibet alio distinctum, et simul esse debet principium ex quo oritur, ac existit eorum finitum multiplicabilitas; et cum multiplicabilitas imperfecte dicit, principium hoc in compositis ex actu et potentia descendendum est ab eo quod se habet per modum subjecti; ita ut forma seu actus unitate frenus multiplicabilis sit, quia receptus in subjecto, eum quo proportionem ac commensurationem habet. Verum enimvero substantiae finitae iterum bipartitam habent divisionem; aliae enim sunt formae simpliciores, et per se substantiales, aliae sunt ex materia et forma compositiores. In primis, iuxta Aquinatum, individuum rependenda est ab essentia quae per se est individuationis principium; quia per se est *haec* et non *alia*, et primum essendi subjectum; hinc per se est essentia singularis, cum esse non recipiatur, nisi in subjecto singulari; unde illud S. Thomae ab Avicenna acceptum «Quidditas substantiae simplicis est ipsum simplex, quia non est aliud recipiens ipsum.» In substantiis vero compositis essentia est recepta in aliquo subjecto; propterea non est *per se singularis* et *hoc aliquid* ut ajunt, sed

determinatur ad singularitatem per materiam signatam; ex quo fit ut primae habeant, ut sint singulares et a ceteris distinctae a principis formalibus: secundae autem a principis materialibus: iterum divisi numerica in primis secum aliter divisionem specificam; in secundis habetur divisio numerica, remanente eadem specie; in primis unitas formalis et unitas numerica sunt adaequate eadem speciei; et sic essentia potest abstracte praedicari de subjecto singulari et ideam, et sic essentia potest abstracte praedicari de subjecto singulari; in secundis unitas numerica addit aliquid *reale* supra unitatem formalem, nempe principia intrinsecae efficientiae assuetum, et eam determinatiam ad esse singularis; atque ita essentia abstracte sequitur praedicari de subjecto singulari; cum nequeat dici «Socrates est sua humanitas» (Quod. 2<sup>a</sup> q. 2<sup>a</sup> a. 4<sup>a</sup>).

Quocirca licet, multiplicatis individuis, multiplicetur essentia, cum essentia Socratis non sit essentia Platonis; tamen essentia unus individui non distinguitur ab essentia alterius ratione essentiae, sed ratione diversi subjecti in quo utraque recipitur: firmae ergo sunt distinctae inter se; at distinctio non est dicenda *formalis*, sed melius *formarum*. Et non considerare hoc, ait Cajetanus, (De ente et essentia q. 13) est causa erroris eorum qui de omnibus volunt eodem modo judicare, quibus, dum non considerant proprias rerum naturas, et res suis conceptibus adaequare volunt, accidit, ut de omnium individuatione eandem proferant sententiam, et in eorum numero sint, de quibus dicitur (2<sup>a</sup> Coel.) quod quaerunt usque quo non habeant contradicere sibi ipsis.

Quae a nobis hucusque explicata sunt placeat ipsis S. Thomae verbis confirmare ac defendere. «Ea quae conveniunt in specie et differunt numero conveniunt in forma, sed distinguuntur materialiter. Si ergo Angeli non sunt compositi ex materia et forma sequitur, quod impossibile est esse duos Angelos unus speciei, sicut etiam impossibile est dicere quod esset plures albedines separatae, aut plures humanitates, cum albedines non sint plures nisi secundum quod sunt in pluribus substantiis» (1. par. q. 50 a. 4). «Formae separatae eo ipso quod in aliis recipi non possunt habent rationem primi subjecti et ideo seipsas individuantes, et cum in ipsis non est nisi forma, est in eis forma secundum rationem formae. Et ideo enim in eis sit idem suppositum, et forma, multiplicationem suppositorum multiplicatur forma secundum rationem formae secundum se et non per aliud, quia non recipiuntur in alio. Omnis enim talis multiplicatio multiplicat speciem, et ideo in eis tot sunt species, quot sunt individua. In aliis formis ubi est multitudo formae per receptionem in alio, quod habet rationem primi subjecti, et non secundum rationem formae manet eadem species in diversis suppositis» (De nat. materiae c. 3. Cf. etiam (De pot. 1. IX. a. 7).

Quamobrem si, ex eo quod rerum materialium essentia assuerit non per seipsam individua, vellet quis concludere, sequi ex hoc sententia reales essentiae non esse individuas sed universales, falsus esset et perverse concluderet; nam aliud est adfirmare essentiam non esse per seipsam singularem, et aliud est tueri illam non esse singularem; quemadmodum aliud est dicere realem essentiam non esse per seipsam existentem, aliud adfirmare, eam non esse existentem; primum est verissimum, secundum est falsum et sibi repugnans. Concedendum ergo reales essentias rerum materialium esse singulares: vehementer autem negandum ipsas esse *seipsas* singulares, cum id quod est singulare et id quo res ad singularitatem determinatur *realiter* differant in compositis ex materia et forma; et sic vicissim apparet falsitas eorum qui ex eo quod aliquid est singulare concludunt illud per seipsam singulare esse debere; non secus ac illi qui ex eo quod materia prima existit, concludunt eam per propriam esse debere existere.

*Materia Signata.* Duo a nobis tradita sunt, et essentias materiales non esse per seipsas singulares et eas individuari per *materiam signatam*; praestat ergo in commodum tyronum aliquid de hac materia signata paucis in-

nere. Duplex ergo materia distinguenda est, *communis et signata*. Prima ingreditur definitionem essentiae compositae, uti caro et ossa sunt de quidditate et definitione hominis; alia constituit individuum et est praeter principia speciei, ut *haec caro, haec ossa* quae debent poni in definitione Socratis si Socrates posset definiti. Porro materia communis evadit signata, prout est et consideratur sub certis dimensionibus et subjacet quantitati; quantitas vero proprium est, *qua quantitas est*, individuari per seipsum. Hoc quomodo intelligendum sit ita discrete explicatur a S. Thoma: « Habet hoc proprium quantitas dimensionis inter accidentia reliqua, quod ipsa secundum se individuatur; quod ideo est quia positio quae est ordo partium in toto in eius ratione includitur: est enim quantitas positionem habens. Ubiunque autem intelligitur diversitas partium eiusdem speciei, necesse est intelligi individuationem; nam quae sunt unius speciei non multiplicatur nisi secundum individuum, et inde est quod non possunt apprehendi multae albedines, nisi secundum quod sunt in diversis subjectis, possunt autem apprehendi multae lineae, etiamsi secundum se considerentur: diversus enim situs, qui per se lineae inest ad pluralitatem linearum sufficiens est. Et quia quantitas dimensionis de sui ratione habet, unde multiplicatio individuum in eadem specie possit accedere, prima radix huiusmodi multiplicationis ex dimensionis esse videtur, quia, et in genere substantiae, multiplicatio fit secundum divisionem materiae, quae nec intelligi possit nisi secundum quod materia sub dimensionibus consideratur; nam, remota quantitate, substantia omnis remanet indivisibilis (Cg. Lib. 4 Cap. 65).

Quae a nobis fatus disputatus sunt possunt sic summam proponi. 1. Unumquodque sicut habet esse ita habet individuationem (De unum. a. 4<sup>a</sup> ad 2<sup>am</sup>). 2. Causa prima est ipsam esse suum, ergo est ipsa sua individuatione, nempe individuat per puritatem sui esse. 3. Substantiae simplices recipiunt esse in ipsa essentia; ergo individuatur per suas essentias, seu simplices formas. 4. Substantiae compositae non recipiunt esse mere in essentia, sed in subjecto, quod aliquid essentiae addit: ergo non sunt per seipsas singulares, sed per id per quod essentia evadit subjectum essendi. 5. Essentia evadit subjectum per materiam signatam; ergo materia prout subjacet quantitati est principium individuationis rerum corporalium.

Quo pacto sumenda sit materia, quae est principium individuationis, se confundatur cum materia quae est genus in rebus materialibus accurate explicatur a S. Thoma (Opus in Boet. de Trin. q. 4<sup>a</sup> a. 2<sup>a</sup>).

#### CAPUT VII.

*Accidentia habent essentiam incompletam; varia distinguuntur accidentia, et explicatur, undenam in ipsis sumatur generis et differentiae intentio.*

Nunc autem restat videre qualiter essentia sit in accidentibus; quomodo autem sit in omnibus substantiis dictum est. Et quia, ut dictum est, essentia per definitionem significatur, oportet quod eo modo habeant essentiam quo habent definitionem. Definitionem autem habent incompletam, quia non possunt definiti nisi ponatur subjectum in eorum definitione; et hoc ideo est quia non habent in se esse absolutum per se a subjecto; sed, sicut ex forma et materia relinquuntur esse

substantiale quando componitur, ita ex accidente et subjecto relinquuntur esse accidentale quando accidens subjecto advenit. Et ideo etiam nec forma substantialis completam essentiam habet, nec materia; quia in definitione formae substantialis oportet quod ponatur illud cuius est forma; et ita definitio ejus est per additionem aliquid quod extra ejus genus est, sicut et definitio formae accidentalis: ut etiam in definitione animae ponitur corpus a naturali, qui considerat animam solum in quantum est forma physici corporis. Sed tamen inter formas substantiales et accidentales tantum interest, quia, sicut forma substantialis non habet per se esse absolutum sine eo cui advenit, ita nec cui advenit, scilicet materia: et ideo ex conjunctione utriusque relinquuntur illud esse in quo res per se subsistat, et ex eis efficitur unum per se; propter quod ex conjunctione eorum relinquuntur essentia quaedam. Unde forma, quamvis in se considerata non habeat rationem completae essentiae, tamen est pars essentiae completae. Sed illud cui advenit accidens, est ens in se completum, consistens in suo esse; quod quidem esse naturaliter praecedat accidens quod supervenit, et ideo accidens superveniens, ex conjunctione sui cum eo cui supervenit, non causat illud esse in quo res subsistit, per quod res est ens per se, sed causat quoddam esse secundum, sine quo res subsistens intelligi potest esse; sicut primum potest intelligi sine secundo vel praedicatum sine subjecto. Unde ex accidente et subjecto non fit unum per se, sed unum per accidens; et ideo ex eorum conjunctione non resultat essentia quaedam, sicut ex conjunctione formae cum materia; propter quod accidens neque rationem completae essentiae habet, neque pars completae essentiae est; sed sicut est ens secundum quid, ita et essentiam secundum quid habet. Sed, quia illud quod dicitur maxime et verissime in quolibet genere, est causa eorum quae sunt post in illo genere; sicut ignis qui in fine caliditatis est causa caloris in rebus calidis, ut in secundo Metaphysicorum dicitur: ideo substantia, quae est principium in genere entis, maxime et verissime essentiam habens, oportet quod sit causa accidentium quae secundario et quasi secundum quid rationem entis participant. Quod tamen diversimode contingit; quia enim partes substantiae sunt materia et forma; ideo quaedam accidentia principaliter consequuntur formam, et quaedam materiam. Forma autem invenitur aliqua, cuius esse non dependet a materia, ut anima intellectualis; materia vero non habet esse nisi per formam. Unde in accidentibus quae sequuntur formam est aliquid quod non habet communicationem cum materia, ut intelligere, quod non est per organum corporale, sicut probat Philosophus in 3 de Anima; aliqua vero ex consequentibus formam sunt, quae habent communicationem cum

materia, ut sentire; sed nullum accidens sequitur materiam sine communicatione formae.

In his tamen accidentibus quae materiam consequuntur invenitur quaedam diversitas. Quaedam enim accidentia consequuntur materiam secundum ordinem quem habet ad formam specialem, ut masculinum et femininum in animalibus, quorum diversitas ad materiam reducitur, ut dicitur in decimo Metaphysicorum; unde, remota forma animalis, dicta accidentia non remanent nisi aequivoce. Quaedam vero consequuntur materiam secundum ordinem quem habet ad formam generalem; et ideo, remota forma speciali, adhuc in ea remanent; sicut nigredo cutis est in Aethiopo ex mixtione elementorum, et non ex ratione animae; et ideo post mortem in eo remanet. Et quia unaquaeque res individuatur ex materia et collocatur in genere vel specie per suam formam; ideo accidentia quae consequuntur materiam sunt accidentia individui, secundum quae etiam individua ejusdem speciei differunt ad invicem. Accidentia vero quae consequuntur formam, sunt propriae passiones vel generis vel speciei; unde inveniuntur in omnibus participantibus naturam generis vel speciei; sicut risibile consequitur in homine formam, quia risus contingit ex aliqua apprehensione animae hominis. Sciendum etiam est quod aliquando accidentia ex principiis essentialibus causantur secundum actum perfectum, sicut calor in igne qui semper actu est calidus; aliquando vero secundum aptitudinem tantum, sed complementum accipiunt accidentia ex agente exteriori; sicut diaphaneitas in aere, quae completur per corpus lucidum exterius; et in talibus aptitudo est accidens inseparabile; sed complementum quod advenit ex aliquo principio quod est extra essentiam rei, vel quod non intrat constitutionem rei, est separabile, sicut moveri et hujusmodi. Sciendum est autem quod in accidentibus alio modo sumuntur genus, differentia et species quam in substantiis. Quia enim in substantiis ex materia et forma substantiali fit per se unum, una quaedam natura ex eorum conjunctione resultante, quae propriis in praedicamento substantiae collocatur; ideo in substantiis nomina concreta quae compositum significant, proprie in genere esse dicuntur, sicut genera vel species, ut homo vel animal: non autem forma vel materia est in praedicamento hoc modo nisi per reductionem, sicut principia in genere principiorum esse dicuntur. Sed ex accidente et subjecto non fit unum per se; unde non resultat ex eorum conjunctione aliqua natura cui intentio generis vel speciei possit attribui. Unde nomina accidentium conerective dicta non ponuntur in praedicamento sicut species vel genera, ut album vel musicum nisi per reductionem; sed solum secundum quod abstracta significantur, ut

albedo et musica. Et quia accidentia non componuntur ex materia et forma ideo non potest in eis sumi genus a materia et differentia a forma, sicut in substantiis compositis; sed oportet ut primum genus sumatur ex ipso modo essendi, secundum quod ens diversimode secundum prius et posterius de decem generibus praedicatur; sicut dicitur quantitas ex eo quod est mensura substantiae, et qualitas secundum quod est dispositio substantiae, et sic de aliis, secundum Philosophum in 2 Metaphys. Differentiae vero in eis sumuntur ex diversitate principiorum ex quibus causantur. Et quia propriae passiones ex propriis principiis subjecti causantur, ideo subjectum ponitur in definitione eorum loco differentiae, si in abstracto definiuntur, secundum quod sunt proprie in genere; sicut dicitur quod simitas est nasi curvitas; sed e converso esset, si eorum definitio sumeretur secundum quod conerective dicuntur; sic enim subjectum in eorum definitione poneretur sicut genus; quia tum definiuntur per modum substantiarum compositarum in quibus ratio generis sumitur a materia, sicut dicimus quod simum est nasus curvus. Similiter etiam est, si unum accidens alterius accidentis principium sit, sicut principium relationis est actio et passio et quantitas; et ideo secundum haec dividit Philosophus relationem in 5 Metaphys. Sed quia propria principia accidentium non semper sunt manifesta, ideo quandoque sumimus differentias accidentium ex eorum effectibus, sicut congregativum et segregativum visus dicuntur differentiae coloris; quae causantur ex abundantia et paucitate lucis ex qua diversae species coloris causantur. Sic ergo patet quomodo essentia est in substantiis et accidentibus, et quomodo intentiones logicae universales in eis inveniuntur, excepto primo principio quod est infinitae simplicitatis, cui non convenit ratio generis vel speciei, et per consequens nec definitio propter suam simplicitatem. In quo sit finis et consummatio hujus sermonis.

## CONCLUSIO

**De essentia accidentium.** In omnibus rebus quae sunt, essentia reperitur necesse est; at diversa propter rationes; quandoquidem res diversas plane essendi modos, perfectiones, ac nobilitatis sibi vindicant. Quocirca in hoc mirabili Opusculo, in quo S. Thomas humanae divinaeque scientiae fundamenta ac semina paravit, postquam explicatum fuerit quo pacto essentia sit in substantiis compositis, in formis simplicibus, et in ipso Deo rerum omnium conditore, atque artifice; ut nihil inexploratum infatigabiliterque reliquit, accurate investigat Aquinas qualem habeant accidentia essentiam. Hae haec super et incompletae habent essentiam; hoc perspicuum fit ex eo quod incompletae habent definitionem: definitio enim oratio est declarans ejusque rei naturam seu essentiam. Verum accidentia non valent defini in eorum

definitione concludatur subjectum: cum non habeat esse independentem et absolutum a subjecto cui inhaerent. Merito ergo afficitur ac delinquitur accidentia per se habere essentialia imperfecte atque incomplete; quia esse non habent in se, sed in substantia, a qua tanquam a subjecto in existendo dependent. Ut hoc scite intelligatur, advertendum est, essentialia ab *esse* seu ab actu essendi non habere; ideoque, sicuti initio adiutivimus, quaevis res eodem pacto essentialia habet, quo esse sibi vindicat. Sed *esse* seu existentia accidentis non recipitur primo et per se in accidenti, secus accidens in substantiam converteretur, sed in composito ex substantia et accidenti. Ergo accidens non habet per se completam et absolutam essentialiam.

Qua de re merito Aristoteles et post eum politiores scholastici declarant accidens esse potius *entis* quam absolute *ens*, neque dici posse *id quod est* sed melius *id quo aliquid est*, non quidem simpliciter, sed quale vel aliquo modo se habens, et deum *esse* accidentis proprium habere quod affirmari non potest. Quae dicendi formalis perspicua erunt habentibus praeculis, esse seu existentiam accidentis laudatquam recipi prius in forma accidentali, et deinde in substantia, sed immediate in composito ex substantia et quidditate accidentis; et quoniam subjectum in suo esse substantiali subsistit, et est ens actu per *primum esse*; forma accidentalis offert *esse* quoddam secundum substantiam, quo esse substantia et accidens copulantur et efficiunt unum non per se, sed per accidens. Ex quo patet id quod in hoc ultimo capite notat Aquinas, nihilum habitum, formae substantialis ad materiam primam partim discrepare, partim convenire cum relatione formae accidentalis ad subjectum, seu ad substantiam. Quam doctrinam idem Angelicus Doctor perbelle versat in Summa Theologica hoc pacto: «Forma substantialis et forma accidentalis partim conveniunt et partim differunt. Conveniunt quidem in hoc quod utraque est actus, et secundum utramque est aliquid quodammodo in actu; differunt autem in duobus. Primo quidem, quia forma substantialis facit *esse simpliciter*, et ejus subjectum est *ens in potentia tantum*; forma autem accidentalis non facit esse simpliciter, sed esse tale, vel tantum, vel aliquo modo se habens; subjectum enim ejus est ens in actu. Unde patet quod actualitas per prius invenitur in forma substantiali quam in ejus subjecto. Et quia primum est causa in quolibet genere, forma substantialis causat esse in actu in suo subjecto. Sed e converso actualitas per prius invenitur in subjecto formae accidentalis; quam in forma accidentalibus; unde actualitas formae accidentalis causatur ab actualitate subjecti: ita quod subjectum in quantum est in potentia est susceptivum formae accidentalis; in quantum autem est in actu est ejus productivum. Et hoc dico de proprio et per se accidente.... Secundo autem differunt substantialis forma, et accidentalis, quia cum minus principale sit propter principalis materia est propter formam substantialem, sed a converso forma accidentalis est propter completionem subjecti.» (I. P. q. 77 a. 6.)

Ut autem in summam conferamus quae in toto hoc opusculo disputavit Aquinas, concludimus essentialiam esse in cunctis rebus eodem pacto ac in ipsis invenitur esse; propterea res omnes perfectiorem, imperfectiorem essentialiam habere, secundum quod perfectiori, vel imperfectiori modo esse sibi vindicant. In Deo gloriosa essentialia unum idemque est cum actu essendi seu cum existentia, et cum actu ille non sit receptus in potentia, sed sit esse per se subsistens, infinitas in sua simplicissima realitate complectitur essendi nobilitates ac perfectiones. Ergo essentialia in Deo identificata cum existentia est modo infinite perfecta. In substantiis simplicibus creatis esse est receptionis modum formae subsistentibus est per se primo, et proprium essendi subjectum, cum essentialia simplicis sit *ipsum simplex*. Ergo in ipsis excellentem quendam licet finitum habet perfectionis gradum. In substantiis compositis ex materia et forma *esse* est actus receptus, et non est receptus per se primo

in essentialia, sed in subjecto singulari, quod complectitur essentialiam ad singularitatem determinatam per aliquid praeter principia essentialia superadditum realiter ipsi essentialia. Ergo substantiae compositae imperfectiori modo habent essentialiam, quia in ipsis essentialia imperfectiori modo recipi esse. Denum in accidentibus esse recipitur in composito ex subjecto substante et completam essentialiam habent, et accidentali forma. Ergo in ipsis essentialia repertivam essentialiam habent, et incomplete, quia accidentia proprium sibi esse non habent, quo ab alio independentem existant, sed dumtaxat in subjecto cui inhaerent, et cui afferunt secundariam et accidentalem essendi nobilitatem ac perfectionem. Exinde est quod substantia praedicamentalis dicitur id quod habet esse in se; accidens vero id quod esse habet in alio.

Atque hic finis sit. Si quis forte admirans rerum in hoc Opusculo explicatarum pulchritudinem, arctam connexionem, et perfectam quasi harmoniam, deprehenderit non omnia eodem evidenter ac perspicuitas gradu splendescere; meminerit hoc esse profecto necessarium, cum in praesenti statu mentis nostrae nonnulla per se et directe non evidentia, habenda sint ut rata propter nexum dumtaxat ac societatem cum iis quae per se perspicua sunt ac clara. Iuvabit usurpare illud de alia re ab Augustino dictum: «Soli nervi in citharis aptantur ad cantum, sed ut aptari possint, insunt et cetera in compagibus organorum, quae non percipiuntur a canentibus, sed ea quae percussa sunt his connectuntur (De Civ. Dei, Lib. 16, Cap. 2).